



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Iuramento licito duo crimina contrariantur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

390 Iudicium temerarium.

peccatum iudicii temerarii, de quo est communis sermo quoniam non iudicat persona, sed opus: nec errat in iudicio personali: sed in iudicio rerum. Tunc autem iudicaret temerarie, quando esset iudicium personale: ita quod ex parte intentionis seu animi iudicaret illum peccare mortaliter, audens definire in actibus dubis aut venialibus intentionem mortalem.

Iuramento licito duo crimina contrariantur.

Iurare si duos habet comites, iudicium, iustitiam & veritatem, actus virtutis religionis est, ut pote profitens Deum infallibilem omnium notitiam ac veritatem habere. Propter quod scriptum est. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.

Contrariantur autem iuramento duo crimina, periurium, & iurare per falsos deos, aut creaturas. Et de periurio quidem in loco sup. inferius tractabit.

De hoc autem crimine quod gravius est, nec habet nomen proprium, adverte quod ad blasphemiam reducitur: quia dum aliquis intendit verè iurare, intendit testimonium infallibile afferre: & dum per creaturam quamcumque; aut falsum Deum iurat, profitetur creaturam illam seu illum æstimatum Deum esse infallibilem testem, quod est proprium Dei veri, ac per hoc attribuit, quod est proprium Dei, alteri, quod est blasphemare. Est ergo iurare per creaturas, aut falsum Deum plusquam periurium, quia est peccatum blasphemiae.

Veruntamen quum Christiani iurare videntur per creaturas (ut per sancta Evangelia, aut per sanctos &c.) piè interpretandum est: hoc est secundum Christianum morem & sensum: hoc est ut intentio iurantis sit Deum in creatura afferre in testem, & non ipsam, secundum se creaturam. Et iuxta hanc
distin.

Laruarum vsus. 391

Distinctionem discerne diuersa prohibentia & concedentia iurare per creaturas. Nam prohibentia intelliguntur de creaturis secundum se: concedentia intelliguntur de creaturis vt in eis est Deus.

Vsus laruarum quibus mediis reddatur illicitis.

Laruarum vsus illicitus ex circumstantia aliqua redditur, & non est secundum se illicitus: vt patet ex hoc quod representationibus est licitus. Nec solum redditur illicitus ex malo fine, & incongruo tempore, loco & modo: sed ex conditione personæ plurimum pensandus est. Nam quia tempore quo quasi insanire licet, laruæ assumuntur, iuuentutis hæc est licentia: & propterea à grauibus viris aliena censetur. Et licet magnates etiam Ecclesiastici ad excusandas excusationes in peccatis, dicant se maxime decere vt laruati incedant, vt possint liberè discursere incogniti, quod non deceret illos manifestos, nihilominus non excusantur. Tum quia tales non egent propter graues toto anno occupationes huiusmodi recreatione. Tum quia non ad recreandum animum, sed ad superfluam agunt delectationem. Tum quia non curant cognosci, imò plures eorum volunt cognosci. Tum quia scandalizantur pusilli ex prælatis præsertim Ecclesiasticis laruacis: Et merito: quia personas subeunt leuium & iuuenum, secundum morem. Et hoc est valde pensandum: scriptum est enim: Qui scandalizauerit vnũ ex istis pusillis, expedit ei suspendatur mola asinaria in collo eius &c.

Latrones à quo denominationem sortiantur.

Latro: